



EXERCITATIO MEDICA INAUGURALIS,
SISTENS

**PATHOLOGIAM
DUUMVIRATUS
HELMONTIANI,**

Quam,

In Alma Regia & Electorali Fridericana,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS

BRANDENBURGICI HÆREDE,

ac reliqua,

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,

MED. D. EJUSDEMQUE ET PHIL. NAT. PROF. PUBL. ORD.

h. t. DECANO, POTENTISS. REGIS BORUSS. CONSIL.

ET ARCHIATRO,

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE AC HOSPITE SUO OMNI OB-

SERVANTIÆ CULTU PROSEQUENDO,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores & Privilegia

Doctoralia adipiscendi

ad diem Jul. Anno MDCCIV. Horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Eruditorum disquisitioni publicæ submittit

IMMANUEL HEINRICH GARMANN,

Chemnicio-Misnicus.

HALÆ MAGDEB. Litteris Christ. Henckelii, Acad. Typogr.

INCLUTO,
FLORENTISSIMÆ CIVITATIS
SCHNEEBERGENSIS
SENATUI,
VIRIS
PRÆNOBILISSIMIS,
EXCELLENTISSIMIS, EXPERI-
RIENTISSIMO, AMPLISSI-
MIS, CONSULTISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS,

Dominis Patronis, Fautoribus & respectiue
Affinibus omni honoris cultu prosequendis

hanc meam Inauguralem in devotæ mentis *τηνεύχου*,
inque meorum studiorum commendationem,
cum omnigenæ tum publicæ tum privatæ pro-
speritatis ardentissimo voto

facratam volo

Immanuel Heinrich Garmann,
Chemnicio - Milnicus.



I. N. 7.
PROOEMIUM.



lennium est & quod excurrit, ex quo in Regia Borufforum Academia Duūviratum Helmontii publicæ Eruditorum Disquisitioni speciminis Academici loco exposui. Duumviris ibidem stomacho, puta, & Liene physiologicè consideratis, actione & usu eorum ex mente Helmontii recensitis, in quantum digestiones & fermenta locum invenire queant determinavi; somni præterea locum centralem, venterisque diversorium, animæ demum sensitivæ & mentis hospitium aliunde quam è Duumviratu deduci debere conclusi. Morbos autem diversos è Duumviratu male disposito, stomacho nimirum & Splene aut alterutro, aut utrisque male habentibus, Helmontium derivare, scripta ejusdem vel perfunctorie legenti innotescere poterat, eoque respectu sub finem dictæ exercitationis morbos è Duumviratu Helmontio deduci solitos data occasione me pertractaturum promisi. Qua fide hac Inaugurali Disseratione me liberaturus Te L. B. compellandum prius duxi,

duxi, velis ea, quæ pro ingenioli tenuitate afferentur, non nisi in bonam partem interpretari; sicubi autem erratū aut omiffum quid deprehendes, illud humanæ conditioni inevitabile, hoc per chartæ angustiam condonandum reputabis. Ne vero *auspiciis* procedam hoc ordine placuit incedere, ut perlustratis morbis universalibus i. e. totum corpus aut maximam ejus partem afficientibus, cujusvis sic dicti ventris & denique artuum affectus, quos è Duumviratu suo deducit Helmont, pertractem, visurus paucis, quantum veritatis & lucis rationes & remedia ejusdem praxi afferant clinicæ. Faxit, qui supplex in auxilium vocatur DEUS, ut propositum hoc in sui gloriam proximique salutem ex voto cedat feliciter!

SECTIO I.

De,

Morbis Universalibus, Febribus, Peste, Atrophia, Ictero.

§. I.



Um Febres totam corporis machinam infestent, reliquis affectibus unam vel alteram partem obfidentes, plerosque morbos aut antecedant aut comitentur, aut sequantur, nostraque saginent coemeteria & castra depopulentur, morbi universalis & communissimi nomen jure merentur; peculiarem de his Tractatum conscribere placuit Helmontio, è quo & aliis ejus libellis placita ipsius excerpere & ventilare, non inutilem, difficilem tamen materiam aggredi animus est. Febres, Ille, ex Duumviratu male affecto deduxit, (r. *Lus Duumvirat. n. 30.*) stomachum nidorosum allegat (de Febr. c. 12. n. 4.) in quo centrum & palestra certaminis febrilis (ibid.

(*ibid.* c. 17. n. 4.) *Febris habet virum estque serpens multiceps, qui circa pylorum vel paulo infra hospitatur, vel insidet convexo stomachi (ibid. n. 8.) Et antea (c. 10. n. 3.) Nidus februm est in primis officinis: extenditur scilicet à Pyloro per duodenum & vasa ibidem multiplicia, intestina, venas Mesenterii, Lienem usque ad Hepar, quod ipsum è symptomatibus febres comitantibus explanat. Quodsi Pylorus nimia erret strictura, potus ibidem quandoque toto triduo perseverat, atque tandem plus unico vomitu rejicitur, quam biduo sit assumtum (Sextupl. Digest. aliment human. n. 41.) adeoque in febribus peccet & digestio & expulsio. Laudat igitur Fernelium, qui (lib. 6. Pathol. c. 7.) nidum intermittentium circa stomachum Duodenum ac Pancreas primum subodoratus est. (de febr. c. 3. n. 18.) Ipsa vita autem semper est intimum principale, formale atque essentialè februm efficiens. (ibid. c. 16. n. 5. & 16.) Omnium vero materia visibillis atque peregrina vel foras adveniens, vel sponte sua intus prognata quantumvis fuerit de ipsa solidorum nutritione degener, atque separatus liquor proprio nomine semper se habet per modum occasionis & causæ irritantis. (de id. morbos. n. 24.) Quoties non vitale (causa occasionalis) in agrum vitalem est insertum, indignatur Archæus & incandescit, ut istud peregrinum è sui Anatomia excludat. (de febr. c. 13. n. 3.) Degenerant autem partes alimentosa in sanguine vel admistione rei extraneæ, vel impressione peregrina, vel demum errore indignati vel avocati Archæi. Altera causa occasionalis est, quando vena Meseraica ex Ileæ intestini extremis hinc cognatis grossioribus intestinis assugunt succum quendam s. Ens anonyminum Ipsæ scoria sive stercus liquidum vocatum, urina tingendæ destinatum, (c. 11. n. 5. & 6.) quamdiu enim scoria recta fertur ad lorium velut naturale sibi emunctorium, bene est, & si oblique alio feratur, fit febris continua. (n. 14.) Cruor nullo modo esse potest februm causa constitutiva, imo nec quidem causa occasionalis, nisi sit extraventus priusque corruptus, i. e. nisi prius desinat esse cruor. Demique aliud quodcumque excrementum à subsequente digestionè defoedatum, causæ occasionalis jus in se transfert. (ibid. c. 16. n. 15.) Quod ad differentias februm, sedes continuarum non differt ab intermittentium. (c. 16. n. 1.) Diaria ipsæ sedet in stomachi*

cavo, & plerumque ex vitiatō cibo. Febris tabida seu hectica. Ipsi quadam est quotidiana. Quartana in splene ipso venisque sibi contiguīs hospitium delegit, (ibid. n. 6.) Si de prima digestionē aciditas chyli immēdiatē deferatur ad Splenem mox adest quartana. (Tr. Recent. p. m. 499.) Sola quartana exlex extra contubernia stomachi ad Splenem porrigit. (de febr. c. 17. n. 9.) Sciendum etiam differit, sedem quartane nedum esse in ipso Lienis corpore, verum in ipsismet ejus arteriis si non omnibus, saltem aliquibus. Quod punctum unicum fecit sanationem quartanae difficilem (c. 6. n. 11.) Dum autem Splen sub quartana torcularis toleravit plurima, tumescit ex productio per quartanam (ibid. n. 9. & 10.) Est denique malignarum castrensiū purpurearum & c. aliena prorsus & insolita admodum sedes, propagatio ac insueta medendi anxietas: dum scilicet per inspirata endemata locorum, paludum, mineralium, fumorum, hospitium, infirmorum, putidorumque odorum, hauriuntur foetores & c. qui dum per pulmonem in thoracem penetrant, trans diaphragma connexam stomachi superficiem feriunt, ac suae virulentiae ideam depingunt in alimento proxime assimilando. (ibid. c. 17. n. 9.) Maligna sola aliquid putridi peculiariter sibi vendicat circa orificium ventriculi. Sunt autem tanto pejores, quae non in ejus concavo, sed in convexo sedent, eo quod non nisi extraordinarium arcanum ad ista attingit loca. Ideo namque Castrenses & Endemicæ omnes ceteris sunt pervicaciores, ac plerumque citra sitim. Quibus vix perceptibilis calor est, solaque agros continua anxietas ad feretrum ducit. (c. 10. n. 6. & 7.) Hæc Helmont. Ubi quidem febres stomachi, Splenis & Mesenterii incolas dari non nego, monet id Symptomatum phalanx, nausea ciborum, ructus, vomitus, aut saltem creber vomendi conatus, stomachi dolor, stomachi & Lienis tumor, rugitus hypochondriorum & Diarrhoea, alvi etiam quandoque obstructio. Cum vero calorem nimium, sitim, pulsum, inflammationem, exanthemata & alia accidentia probe quis pensitet, in vasis sanguineis, quin in ipso sanguine februm nidum & focum quæret, & forsitan etiam inveniet. Nobiliss. Job. Dolæus (Encyclop. Medic. lib. 4. c. 1. §. 2.

(p. m.)

p. m. 833.) febrem definit per plus minus sanguinis turbatam mixtionem cum Cartesianis, quam tamen potius febris effectum declarat celeberrimus *Dn. Praeses Patronus & Praeceptor colendissimus*, (*Tract. de febr. Poter. oper. annex. c. 1. p. 356.*) existimans febrem esse turbatam & inaequalem sanguinis circulationem à motu cordis arteriarumque aucto, nec non à vicioso partium solidarum tono productam ad materiam vel quantitate vel qualitate, vel etiam solo motu atque activitate fluidis machinae nostrae partibus insensam exterminandam aut subigendam. Quos in scenam protraxit *Helmont Archeos*, quorum *Duumviratui* peculiaris est, (*vid. Exerc. de Duumvirat. Helmont. Sect. 5. §. 3.*) eos cum similibus portentis explofit *Sagacissimus Dn. D. Strahl* (*position. d. mechanis. mot. progress. sangv. thes. 26.*) hinc *Archei* indignationem furorē & accensionem in febribus amplectatur cui volupe est. *Nullam noxam à sanguine intra venas, sed tantum ab hostilibus & peregrinis excrementis insultare: Deum quoque sufficientia fecisse sordium quarumcunque emunctoria, nec laceratione venarum opus esse, pro februm victoria docuit Helmont. (de febr. c. 4. n. 44.) Cruorem culpa carere (c. l. c. 17. n. 12.) per totum, vanasque inde venarum in cura depletiones viriumque furta audaçter declaravit. Cur vomitiva in febrī maligna nequicquam sublevent, ratiocinatur. ibid. n. 10. quod nisi productum febrile vomitiva domare videantur, non tollunt tamen occasionele producens in convexo externoque stomachi plantatum. Speciosus sane titulus purgatio sive depuratio: sed doli plenus exclamat c. l. c. 5. n. 8. Conclufit igitur cum Hippocrate ad Democritum omne solutivum depradari de viribus & substantia nostri corporis, adeoque purgationes Medentum exilio damnat. (n. 26.) Vomitoria febres curare, aut purgationes & venæsectionem & sagaciores Medici dudum negarunt, in præservatione tamen hæc auxilia non esse præscribenda experientia firmat. Nec omnibus eadem individuīs præscribunt, sed venæsectionem plethoræ, (quam quidem obelo notat (*ib. c. 4. n. 4.*) & sanguinem bonum nunquam*

quam peccare posse nimietate, eo quod vires vitales & sanguis sint correlativa, nec vires abundant, ne quidem in Marbusalem,) fordibus Stomachi vomitiva & purgantia. Febribus autem presentibus illa indifferenter in usum vocanda, nemo è Sipientioribus inculcavit, præpriis ubi mali moris febres corpus invadunt, contagioque sanitatem pessundant. Non igitur Dictatori assurgendum, quando (c. l. c. 13. n. 8.) inculcat: probo Medico magni non est momenti diversitates Febrium juxta materiae proprietates & loca curiose indagasse, cum nec præcavisse sit datum neque dici possit remedio: Vade tu ad talem venam vel ad istum locum. Totumque medentis studium sit invenisse remedia, apud que omnes febres ejusdem sunt pretii & ponderis. Alia sane ratione, ut hoc saltem moneam, tractandæ sunt febres benignæ, alia malignæ. Continuæ aliâ, aliâ intermittentes: Et cur potentioribus incisivis egere intermittentes quam continuas astruxit? (c. 11. n. 14.) quia pertinaciorrem magisque glutinosam materiam occasionalem habent. Cur pestem vocat febrem ardentissimam acutissimam & celerissimam? (c. 12. n. 7.) Cur causæ occasionalis diversitates admittit? (c. 13. n. 6.) Medici nomine indignos quod pronunciat, qui febrientem non restituant ante quadriduum, (c. 12. n. 6.) Thrasionem agit. Antifebrilia die accessus & hora opportuna propinanda recte censuit. (c. 9. n. 11.) Et est ista opportunitas in spatio horulæ ante paroxysmum, quantum sc. exigat actuatio medicaminis & Stomacho vacuo. Nam si detur diebus quietis intermittentium, vel dudum ab incepto Paroxysmo, dum medicamen non presentit naturam sibi auxiliatricem, tam ad actuandum seu animandum, quam expellendum materiam occasionalem febris, incassum propinatur. Imò tum agit medicamen magis quam juvat, quatenus naturam, dum quiescere mallet, ad proseriptionem stimulat. Quod si in Corticis Peruviani adhibitionem quis inclinet, Excell. Presidii monita (in not. ad Poter. Cent. 2. c. 80. p. 242.) ad animum sibi revocet autor sum. Sudorifera autem diligenter nec sine causa Helmont (tr. de Febr. c. 2. n. 10. c. 9. n. 13.

c. 11. n. 7. & c. 14. n. 7.) suavit, in iisque potiore curæ cardinem
 posuit. Sudorifera tamen non esse debere calida, iudiciose
 laudatus *Dn. Preses* (tr. de Febr. c. 1. p. 860.) iniunxit. Sunt, qui
 Arsenici opem in quartana cum castrensis chirurgis advo-
 cant, & inde forsân etiam quibusdam in Armeno & Lazuli
 lapidibus, cum opinione Helmontii (c. l. c. 6. n. 5.) in his Ar-
 senicum hospitetur, quædam spes: Sed Arsenici falis corro-
 sionem nesciunt, qui id agunt. Arsenicum Auripigmen-
 tum &c. quantumvis fixentur & dulcorentur, nunquam ta-
 men sunt introsumenta rectius suadet *Helmont.* (tr. Pharmac.
 & Dissensat. mod. n. 52.) De siti in Febribus philosophatur, quod
 oriatur propter nidorosa putrida coagulataque; non autem quod ap-
 petatur humidum nutritivum & refrigerans: sed resolutivum nocui.
 Adeoque non tam nutrimentum indicat & exposcit quam remedium.
 Ideoque nec sitis cessat per potum, nisi hic medium attulerit capeffendo
 fermento consymbolum. (tr. Pylor. Reclor. n. 26.) Et hinc non nisi in suis
 stationibus affligit, (tr. conf. morb. sed. in anim. sensu. n. 11.) ubi autem
 Archei sive sensitivæ furor deserbuit, in intermittentibus remittit. Si-
 tim igitur fraudulentam appellat (d. Febr. c. 17. n. 5.) & hanc sta-
 gma sulphuris restringere innuit. (c. l. c. 1. n. 11. & c. 17. n. 6.) Potum
 autem licet largiorem admittit. Detestor, scribit, in Febribus
 abstinentiam à potu. (c. 12. n. 2.) Nam si Febris sit calida & siticulosa,
 privetur autem potu humefante, depopulatur cruorem & solidarum
 partium alimenta cum viribus. Satisfaciant tum potissimum, pergit
 (n. 6.) cerevisie tenues vino nuptæ quibus panis admiscetur prius in A-
 qua separatim coctus, usque in collam sive mucilaginem, & frigide hæc
 sumta, cruda & non colla. De vino tandem concludit: (n. 7.)
 qui vino modice utuntur in febribus facilius convalescunt, vires conser-
 vant & in pristinum ocus restituuntur. Et paulo post: Vinum pe-
 culiarem habet indicationem: non solum quia vires addit, quibus na-
 tum exosam materiam domat; Verum insuper quod sit planstrum me-
 dicaminum conveniens. Est enim nuntius, qui vias novit, itineri ac-
 cinctus, charus intimis, & admissus in penetralia. Solvitur & lenta
 pertinaciorque Febris frequenter per appetitum rerum insolitarum (pu-

ta hanc rerumque fumarum) sperans per rem ejusmodi inauspicatam subigere hospitem hostem. Arrident nempe ejusmodi insolita, non quidem quod digestioni (quippe que tum nulla ibidem est) sint aut alimento apta, sed quia impressionalem ideam Archei atque sigillum febrile oblitterent non secus atque alias cibi inordinati exoticas silentesve in Archeo ideas occasionaliter excitant. (c. 17. n. 7.) De quartana quaedam adhuc addere non inconueniens erit. Puer quidam mox à cunis cum quartana toto biennio dimicans prater spem omnium per crisi multasque sedes convaluit, (Asthm. & tuss. n. 26.) vidit sæpius quartanam solis unguentis superatam (imag. ferment. n. 17.) solitus est etiam eandem depellere emplastro è paucis resolventibus & abstergentibus composito. (de Febr. c. 17. n. 13.)

§. II. Pests in hoc à cæteris malignis distat, quod cum non sedeat in sordibus febrilibus, ut neque in cruore; afficiat tantum ipsum spiritum vitalem sui odore, ob id quoque intret & exeat necessario cum aëre per poros diaphragmatis, adeoque tendit sic primario ad stomachum nec potens pergere ulterius motu locali, suam ibidem sfflit impressionem in nutrimento stomachi. Unde mox vomitus, cephalalgia, sopores, deliria, syncopes & que viriati oris stomachi consequuntur dominium (d. Febr. c. 10. n. 8.) Impetus primi confusionis terroris atque imaginationis circa os stomachi contingunt. In liene nimirum cuius emunctorium est prope os stomachi, adeoque scopus illius sagittarii. (Tumul. Pest. p. 891.) Nam in iuvene sano quem pestis septem horarum abripuerat instituta anatomi à reperi escharam oblongam iam constitutam, ut prius vomitus motricem, ac dein syncopum continuarum autricem: ita & mortis occasionem dedisse, prout in aliis sedecim horarum spatio triplicem in stomacho escharam notavi patratam. Os stomachi eschara una tantum cauterizatum antea (c. l. p. 853.) tradiderat. Pests circa orificium stomachi prima tenet conciliabula. (De Concept. n. 4.) Si in aliquo affectu, sane in hoc febrium malignarum & morborum facile Coryphæo suum Noster exercuit ingenium, suum collocavit studium. Longum nimis foret, mentem eius è Tractatu, quem Tumulum Pests appellat, prolixius huc transcribere,

bere, adeat istum beneuolus Lector, curiosam multa & lectu digna videre ibidem poterit, iudicio *Excellentissimi Iob. Dolci* (*Encyclop. Medic. l. 4. c. 5. §. 5.*) In quantum ratione subiecti Duumviratum tangit ejus dogma, paucis enodabo. Scilicet, ut habet *Franc. Oswald. Grembsius* (*Arb. integr. & ruin. bom. l. 2. c. 4. n. 18. p. 436.*) *pestis causam immediatam constituit imaginem genitam ab Arceo & Panicum Arcei terrorem accedente tamen etiam Arcei furore, qui imaginem virulentam parit & penetrat cum imagine terroris &c.* Cum autem terrorem & reliqua animi pathemata in præcordiis, quo nomine os stomachi intelligit, stabulari assueveret, non poterat non Stomachum pro subiecto Pestis venditare, quod ex præmissis patefcit. Verum, ut, quid sentiam, aperiam, imaginationem, terrorem ad causas potius procatarticas quam ad immediatam referendas puto, siquidem disponunt solummodo corpora ut Pestis seminia eo citius recipiant & postmodum inficiantur. Neque stomachum pro Subiecto, nisi remotiori agnosco, radix enim & fermentum proxime latet in sanguine & hujus individuo comite lympha, quibus mediantibus communitatur conceptum miasma omnibus corporis partibus: Remotius tamen hoc recipitur & hæret præcipue in primis viis, ventriculo, intestinis &c. Hinc qui pravis humoribus in his viis scatent, facilius lue corripuntur, & contra minori calamitate premuntur, & evadunt, qui ab hoc vitio liberi aut purgati sunt. Accedit *ἄντοψία*, quando in demortuis corporibus Ventriculus & intestina nigricantia, liquore instar atramenti repleta, imo in ipsis orificiis ventriculorum carbunculi fuerunt reperti. *Vid. Iacob. Roesei Disputat. de Lue pestifera*, qui talia in famulo & filiolo observasse refert, indeque fortassis escharæ productæ, quas in ventriculis Peste defunctorum deprehendit Helmontius. Quibus gemella consignavit *Th. Bartholinus* (*centur. 3. Epist. 42. p. 158.*) De cætero meum ex parte facio Iudicium *Arhanasti Kircheri* (*Scrut. Pest. Sect. 2. p. m. 187.*) Philosophia de Peste ex mente Helmontii ingeniosior fortassis quam intel-

ligibilior. Equidem fateor acutum virum in suo, quod Tumulum Pestis nuncupat, opusculo nonnulla attigisse, quæ Physicam reconditiorem sapiunt: Attamen neque in omnibus ei subscriberem, præsertim cum omnium cœlestium corporum influxum jam tot seculorum experimento comprobatum proscribat: dein quod Pestis essentiam, & quidditatem in sola terrefacti Archei imagine & idea constituat, neque Pestem ulla ratione extra hunc conceptæ contagionis accessum existere & subsistere posse dicat, quod experientiæ pariter reclamat.

s. III. *Atrophia sat manifesto apparent in Duumviratus labore* ait *Helmontius* (tr. Retent. p. m. 495.) Atrophiæ notio non abolitam prorsus sed imminutam saltem nutritionem denotat, quod si enim planè non nutriretur corpus, vitæ finis sensim sensimque ingrueret, quod nutritio & vita pari passu ambulant. Universalem vero Atrophiam in præmisso Axiomate indigitasse videtur, quando corporis mole decrecente, carnes ejusque fibræ flaccescunt, concidunt & imminuuntur. Nec à scopo aberravit, morbi hujus natales e Duumviratu & stomacho, præsertim in quo Duumviratus Majestatem constituit, derivando, in eo enim sæpissime hæret causa Tabis seu Atrophiæ, quando accumulata in eo cruditates alimenta corrumpunt eaque non in chylum fluidum, subdulcem, nutritium, sed in spissum, mucilaginosum, salsum, acrem, verbo partibus nutriendis improporionatum immutant, vitio imprimis lymphæ stomachalis, quin & assumtorum, e.g. in Picâ. Consentit in hoc *Lindenius*, qui hanc esse causam Atrophiæ constanter asseverat; *omnis*, inquit, *Tabes, que vulgo à destillatione capitis orivi dicitur, fit à sanguine ejusque cruditate seu acrimonia, que originaliter è ventriculo oritur habuit.* Idem *Lindenius* pro curanda Tabe vomitoria maxime necessaria judicat, & se sæpius tabidos curasse ait vomitu etiam repetito, *Et quisquis pergit, vult curare tabem feliciter statim ad vomitoria accedat.* (vid. *Eitmuller. d. nutrit. part. les. p. m. 279.*) *Petrus Poterius* in observationibus suis diversas Atrophiæ species vitio ventriculi subnatas recenset, auro suo diaphoretico & sto-

stomachicis curatas; (Vid. Cent. 1. c. 61. Cent. 2. c. 87. Cent. 3. cap. 82.) Iuvat in hectica etiam magis expurgare leniter primam regionem & temperatis balsamicis instaurare ventriculi actionem consulit *Excell. Praes. (ad Cent. 1. Poter. Obs. c. 40, p. 66.)* Absolvendus vero hoc in affectu alter è Duumviris, Lien, qui forsitan ipse nutrimento vitioso corrumpitur. Hinc de nihilo sunt, quæ (*Tr. A. Sed. anim. ad morb. n. 10.*) dicitur: *Atrophia quandoque contingit ob parvum fermentum ad stomachum affluens*, è Liene nimirum per Vas breve, quod commentum in priore exercitatione Sect. 4. §. 14. refutatam.

§. IV. Pervulgata ac omnium ore trita circa Icteri scaturiginem est opinio, oriri eundem ex obstructione aut glandularum aciniformium hepatis, ita ut secretio bilis à sanguine plane non contingat, aut ductus choledochi, quo obturato bilis ad intestinum duodenum non excernatur. Huic tanquam à tramite rationis & veritatis aberranti sententiæ masculè semet opposuit *Helmont* asserens *Icterus non esse à Retentis*, (*Ignor. act. Regimin. n. 43.*) *sed à stomacho deficiente*, (*sed. anim. n. 32.*) & *Icterus Ipsi nunquã alibi viget magis quam in atrio stomachi* (*Conf. morb. sed. in anim. sensiv. n. 13.*) *Nidum sive officinam Icterici mali esse à pyloro usque ad finem duodeni.* (*Schol. Humorist. passiv. decept. n. 35.*) Contra bilis effusionem veram porro argumentatur; (*Sex. rupt. digest. alim. human. n. 30.*) *Sunt fellis vulnera confestim mortalia, non autem ita hepatis. Si fel saltem bilis esset, mors sequeretur quamlibet fellis effusionem de necessitate. Attamen Icterus non est mortalis, licet fel nedum super intestina, sed per totum corpus aequaliter, longe, late, profunde ac per minima sit diffusum. Ergo vel vulnus fellis plus importat quam bilis effusionem, vel icterus non est bilis effusa, vel utrumque est necessarium.* Statuit igitur in stomacho fundamentum ac primordium Icteri delitescere, ibi, si debilitatus is sit, flavam saburram generari & propterea chyli degenerationes atque cruditarum hinc oriundarum corruptiones, quas *stercus liquidum* vocat, propullulare, hoc præter naturam sursum per venas meseraicas raptò, totum corporis habitum inquinari. Paucis dicam quod res est.

Hic ut alibi fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter commisit *Helmont*. Veritati enim non repugnat, in Ictero quandoque in stomacho subesse vitia primæ coctionis, in sequentibus non corrigenda, humores nimirum graviter corruptos, qui, quod *Helmontius* innuit, fermento suo virulento quicquid attingunt confestim inquinant, & in simile virus transmutant, ita ut chylus his vitiose contaminatus & ad massam sanguineam delatus totam corporis superficiem flavo, viridiusculo aut alio suspecto colore inficiat, quo in casu energia salutaris vomitoriorum cum *Helmontio*, *Fabro Langio* & aliis pro evacuando in primis viis contento mali fomite commendanda: At vero propterea bilis vitia unde non rarius confurgit Icterus excludenda non erant. Concedi equidem potest, quod statuit (*Sextupl. Digest. n. 34.*) *fel esse viscus vitale, & ipsum corpus ejus liquorem amarum ex optimo cruore paratum, balsamum iecoris & sanguinis continentem*: sed inde non sequitur, quod obstrui ductus ejus, quod tartarea aut viscidâ amurca scatere nequeant. (*Vid. Magnific. Dn. D. Wedellii Patroni & Præceptoris Venerandi Pathol. Med. Dogmat. S. 3. c. 13. p. 682.*) Facescit hæc amurca in calculos sæpe, ipsaque, si egressus denegetur, lapidescit bilis, unde Icterus pertinax, omnium medicamentorum dotes & labores Medici eludens. Et tunc excrementa alvi pallefcunt, quod vitio potius digestivæ quam distributive imputavit *Helmont*. (*Schol. Humorist. pass. decept. c. 5. n. 15.*) rectius tamen obstructioni choledochi debetur. Dum igitur per quædam calcinata alcalia Icterus se sanasse prodit, (*c. l. n. 35.*) id præstitit quatenus deobstruentia illa, sint partim, partim absorbentia, Unicum adhuc addam è vulgi contra Icterus remediis superstitiosis. Memini (inquit *Helmont. c. l.*) lucium piscem, quandoque vivum in dorso à capite ad caudam apertum, superligatum transversim in regione stomachi intra paucas horas fetuisse puridum cadaver, totamque ejus carnem, que antea erat albissima, flavam evasisse. Vulgus medentum rebatur se traxisse bilem ab Ictero: Ego vero ratus sum piscem calore

Ile-

*Isterici putuisse, suamque flavidinem a corruptione mutuasse. Tin-
cas vivas alligant umbilico & plantis pedum nostræ mulier-
culæ, quæ etiam colorem Isteri cum cadaveroso fœtore con-
sequuntur; nescientes non squamosos pisces, qualis tinca,
mustela, anguilla, auratas etiam mortuas putrere incipientes
eodem ex sua natura tingi colore.*

SECTIO II.

De Morbis Supremi Ventris, Ce-
phalalgia, Vertigine, Epilepsia, Apoplexia,
Lethargo, Phrenitide, Melancholia,
Mania.

§. I.

Cephalalgia citra vapores per nudam actionem Regininis è
Duumviratu procedit. (*Duumvirat. n. 14.*) E stomacho do-
lor capitis. (*Ignor. Hosp. morb. n. 74. Cust. Err. n. 46.*) Ut
in aliis sic & in hoc affectu multum defudavit Hel-
montius, pro antiquiorum dogmatibus evertendis plane, suis
autem cuilibet, velit, nolit, obtrudendis. Scholæ per vapo-
rum ad caput ascensum cephalalgiam oriri asserbant, unde
exoptatam occasionem indeptus *Noster* adeò eas exagitavit,
ut stylo plus quam sarcastico (*Duumvirat. n. 14.*) scriberet, cap-
ut non magis à stomacho per vapores lancinatur, quam
mentum à vaporibus testium in barbatis. Potius Cephalal-
giam, citra vapores, è Duumviratu per nudam actionem re-
gininis procedere statuit, in cuius explicatione adeò intri-
catus est, mentemque suam premit, ut fere idem accidat
Lectori, quod, Appiano Grammatico, qui Homeri manes
ab inferis vocare voluit, percontaturus quâ patriâ quibusve
parentibus esset genitus. Recte quidem eliminavit è foro
Iatrico vanam vaporum ascensionem, quam vel hodiernum
sibi

sibi imaginantur & plebeculæ persuadent, aut si mavis largiuntur, Medicorum non pauci; inde verò non obtinuit quod molitur, omnem nimirum Cephalalgiam Duumviratui & in specie stomacho in acceptum ferendam. Distinguendum enim erat inter Cephalalgiam quæ fit per essentiam & per consensum. Hæc partium inferiorum & potissimum Ventriculi vitio persæpe contingit, nec è vaporum transmissio-
ne, nec per actionis Helmontianæ regimen, ita ut caput auscultat stomacho, sed ex communicatione membranarum & nervorum. Ut enim ex contusione vel vulneratione membranarum cerebri concitatur quandoque vomitus; ita per eundem symbolismum & consensum ex labe ventriculi capitis dolor non rarius observatur. Exempla apud Autores Practicos passim prostant, e bile ad stomachum retrocessa hemicraniam ortam notavit *Petr. Borellus* (*Cent. 2. obs. 1.*) è frigidâ ventriculi discrasia immanem capitis dolorem refert *August. Thonerus*, (*lib. 3. obs. 2. p. 141.*) eundem cum compressione & vomitu ex philtro *Job. Petr. Lotichius* (*lib. 2. c. 1. obs. 1. & 2. p. 152. seqq.*)

§. II. *Vertigo omnis ab inferis scandit citra vaporem aut fumum, sed per solum actionis regimen caput auscultat stomacho.* (*Jus Duumvirat. n. 19.*) *Vertigines sentiuntur manifeste è stomacho manare.* (*Sed. Anim. n. 7.*) *vertigo ex deficiente stomacho.* (*ibid. n. 30.*) *Non a Catarrhis* (*Catarrh. delirament. n. 63.*) Neotericorum plerique in eo conveniunt, quod in vertigine vitiosus & inordinatus sit Spirituum motus, circa subjectum primarium autem in diversas opiniones distrahuntur. Oculum non esse *πρῶτον πάσχω*, quæ assertio *P. J. Fabro* arridebat, ab Excellentissimis viris *Wedelio* & *Hannemanno* declaratum est, argumento potiori per experientiam desumpto a vertigine cœcorum (*vid. Miscellan. Natur. Curios. Decur. 1. ann. 6. & 7. p. 159. Decur. II. ann. 1. p. 170. seqq.*) Præterea non in solo oculo, sed simul in reliquis sensuum organis similis fit inordinata agitatio unde & aurium tinnitus & minus firma obiectorum apprehensio

hensio solet adesse; imo hoc spirituum motu inordinato ad musculos usque continuato, etiam convulsiones nunc graviores nunc leviores superveniunt. *Helmont* ventriculum primario, cerebrum per Regimen sive δευτεροπαθείαν affici, hinc omnem vertiginem in ventriculo stabulari contendit, quod in se ipso tanquam *expertus*, cui credat qui volet, *Robertus* observavit. (*Ius Duumvirat. n. 19.*) Verum quod in prioribus jam factum, denuo infusurrandum venit *Helmontio*; distinguendum est inter vertiginem idiopathicam & sympathicam: In illa primario cerebrū afficitur, tametsi non adeo frequens sit: siquidem Practicorum observationes monstrant, omnem fere vertiginem contingere partium inferiorum vitio, utut diutius affligens & crebrius recurrens usque eo Spiritus animales & cerebri texturam alterare valeat, ut tandem ex vitio cerebri proximo suam ludat tragoediam. Ventriculi labe frequentissime variis modis oboritur, imprimis in quibusdam jejuniū ferre nequit, unde tales vertigine corripiuntur, quamdiu vacuus est stomachus, subito autem atque unam vel alteram buccellam comederunt, omne malum cessat; hinc etiam matutinis horis tantillum comedendo vertiginem sæpius præcavent, qui ejusmodi imbecillitate ventriculi laborant: tale quid in juvene, qui cum tardaret prandium vertiginem passus est, observavit *Anton. Fracanzanius* apud *Laurent. Schulzium Consil. 311. p. m. 887.* Modus quomodo fiat talis vertigo per consensum stomachi controvertitur. Vulgo ad vapores in caput elevatos confugiunt, quorum transitus cum sit impossibilis, omnibus viis sufficientissime munitis, *Helmontius* eorum defensores in scriptis suis passim deridendos, propinat, actionis regimen allegando, quod cum tantum obscuritatis possideat, quantum impossibilitatis vapores, rationem cum *Job. de Muratio* hancce reddo: Materia quædam pungens aculeataque in ventriculo hospitans, cum otiosa est, & nihil invenit in quod agat, in ventriculo vellicationem & crispationem fibrillarum nervearum instituit, quæ vellicatio ut omnis alius motus spasmodicus communicatur cerebro, quod ex fidibus

C.

evi-

evidenter demonstratur, unde fibrillis commotis Spiritus animales turbantur, sanguinis motus simul augetur, quodq; heterogeneum in sinu continet, in cerebrum ablegat, unde spiritus tenebris offunduntur, visus obscuratur, aliique sensus hebescunt, donec, nube discussa, serenitas iterum accedat. (*Vid. Miscellan. Nat. Curios. Dec. 2. ann. 8. obs. 5. Schol. p. 28.*) idem docet *Job. Doleus* (*Encyclop. Med. lib. 1. c. 8. §. 10. p. m. 109.*) Vomitu autem abradendas è stomacho sordes, non sine causa præcipit *Helmont*, (*Jus Duumvirat. n. 19.*) quibus idea illa rotans est impressa.

§. III. *Epilepsia frequentius sentitur è penù stomachi in Cor & Caput attolli.* (*Conf. morb. sed. in anim. sensuiv. n. 3.*) Comitiale virus circa stomachum primitus elucescit, ac dein maxime in capite percipitur. (*tr. de morb. archeal. n. 17.*) Divisio Epilepsiae in idiopathicam & sympathicam probe inculcanda fuisset *Helmontio*, ne, quod secundum quid erat intelligendum, simpliciter asseruisset. Quoties enim à peculiari cerebri & generis nervosi constitutione, in malo præsertim hæreditario, aut à singulari spirituum ataxia, quæ vel à levissima causa externa ad incompósitos ejusmodi tumultus concitari valet, Epilepsia exoritur, in fonte ut plurimum stomacho? Quoties etiam lapsus, vulnera, commotiones cerebri vehementiores, animi pathemata &c. determinationes spirituum irregulares & eccentricitates inducunt, ut epileptici motus proveniant, absque vitio ventriculi? Tametsi vero subjectum principale morbi caduci cerebrum cum nervorum profapia jure venditatur, materia tamen peccans, unde Epilepsia resultat, non semper inibi progignitur, verum per quandam quasi irradiationem & transmissionem eo tendit. Huc respiciens *Helmontius* appositè omnino asseruit, comitiale virus circa stomachum elucescere, ac deinde in cor & caput attolli. Suo jam dudum tempore epilepsiam vitio stomachi subortam annotavit *Galenus* (*lib. 5. d. loc. affect. c. 5.*) Quin & ipse *lien Dumvirorum* alter suam multoties contribuit symbolam; à vaporibus lienis epilepsiam menstruam habet *Hollerius*. (*Prax. cap. d. Epileps. in Schol.*) *Lindannus* curavit puellam epi-

epilepticam obstructione lienis simul laborantem, quæ tempore invasionis auram quandam è sinistro hypochondrio asurgentem observavit, epilepsia subsecuturæ prænuntiam. Et vero mirabile quid est, epilepticos ante paroxysmum percipere aut imaginari sibi materiam subtilem, aut, ut vocant, auram, ex uno alterove membro ita sursum repentem, ut ubi ad cerebrum pervenerit, convulsiones demum epilepticas inferat. Exemplâ quidem apud Practicos passim prostant, epilepsiam e manuum pedumve digitis ascendentem habet *Fernelius*, (*l. 5. Patbol. c. 3.*) è dextro crure *Kerckringius*, (*Spicileg. obs. anat. 71. p. 143.*) è tibia *Galenus*, (*l. 3. de loc. affect. c. 7.*) imprimis autem curiosum videtur illud *Lindani*: Refert ille de quadam muliere, quæ quoties paroxysmus epilepticus instaret, intra pubem sentire se levem quandam morsunculam dicebat & surgentis auræ locum accurate designabat? hæc à medio corpore infra & supra umbilicum versus superiora non surgebat celeriter, sed paulatim, & cum cordi approximaret, cor palpitabat, post unum vel alterum pulsus animi deliquio afficiebatur, postmodum cum pulsus denuò inciperet, tota convellebatur, superata convulsione ad se redibat, donec novus succederet paroxysmus: Ratio hujus phænomeni hæc circiter reddi poterit: dum in isto loco remotiori exoritur convulsio, primo saltem est quædam fibrarum levis contractura, quæ secundum tractum nervi ipsique annexarum fibrarum sursum pergit, donec ad principium nervorum, motu convulsione continuato, spiritus ibidem violentius agitati facti quasi agmine explodi & expandi incipiunt, unde non tantum omnium sensuum perturbatio sed etiam totius corporis convulsio subsequitur. Quodsi partis, vbi ista aura residere creditur, condicio ferat, ligatura quandoque injicitur, qua auræ ascensus quasi inhibetur, & paroxysmus incipiens præcaveatur. (*Vid. Philipp. Salmuth. Cent. 1. Obs. 90. p. 55.*) Hoc ipsum tamen fit non propter auræ ascendentis inhibitionem, sed

quia ligaturâ parti stupor inferitur, irritationis sensus & spirituum motus & tandem fibrarum convulsio aut omnino tolluntur, aut saltem, quo minus ad eò vehementes sint, impediuntur.

§. IV. *Apoplexia sive ex vita inordinata, sive demum ex ira vel morore erumpat, semper è stomacho surgit, sagittaturque in caput. (Conf. morbor. sed in anim. sensitiv. n. 12.) it. Nusquam actio regimini in Duumviratu magis elucescit quam in Apoplexia & similibus. (Asthm. & Tuss. n. 49.)* Apoplexiam alias sideratio & gutta vocatam radicaliter in stomachum tanquam *περὶ τὸν πάσχον* defert Helmontius, cerebrum autem quod inferiorum regimini aulcultare deberet, per devteropathiam affici & in Duumviratus famulatum velit, nolit, traduci contendit, non secus ac si foramen subito claudatur, per quod lumen in locum obscurum alioquin diradiatur. Verum uti cerebrum principale motus ac sensus organum contra *Helmontium* satis recte asseritur; ita & in eo Apoplexiam tanquam motus & sensus abolitionem ob denegatum in ductus & fibras ut & medullam spinalem spiritibus influxum, residere, cuius colligere in proclivi est. In specie ventriculos cerebri obstructos Veteres incusabant, utpote spirituum animalium elaborationi destinatos. Ast cum basis, cui hæc opinio innititur, firma ac stabilis haud sit, siquidem in cerebri ventriculis nec generantur nec ex iis pro distributione viæ ad nervos patent, verior eorum habetur sententia, qui in principio medullæ spinalis seu basi cerebri obstructionem contingere autumant; huius natales vel ex interno vel externo principio derivandi, prout nimirum vel ab extravasatione, stagnatione, visciditate feri aut sanguinis oritur, vel à cranii depressione, aut aliarum rerum cerebro incumbentium mole dependet, quorsum pertinent omnes ictus, vulnere, casus, tum ipsius capitis, tum cervicis, ex cuius læsione apoplexiam inductam mirum casum recensuit *Wedelius* (*Patholog. Dogm. Sect. 3. c. 10.*) Imo hodiernum adhuc solenne

ne est venatoribus ac lanionibus animalia grandiora, e. g. boves, cervos &c. aut securi valde ad frontem percussa, aut cultro acuto in cervicem adacto subitanæ neci, quæ non nisi apoplexiæ species, tradere. Ut vero ad *Helmontii* placita, redeam, non parum roboris suam sententiam circa partem in Apoplexia affectam nancisci judicat ex methodo curationis, quam in eodem morbo adhibuit: *Apoplexiam recentem, inquit, multoties superavi procurato vomitu, vel destillatis stomachicis validioribus rebusque aromaticis. (conf. morb. sed. in anim. sensitiv. n. 3.) Apoplecticos juvant remedia pro Duumviratu. (Jus Duumvirat. n. 17.)* Quod vomitoria concernit verum omnino est, esse eadem insignis efficacæ in Apoplexiâ leviori. Tegularius Jenensis apoplexia correptus adhibito emetico plenissime mox restituebatur. (*Vid. Wedelius c. l. p. 635.*) *Christianus Langius (Miscellan. Curios. Medic. p. 9. & 10.)* non facis de prædicare valet vomitoriorum virtutem plus quam herculeam in debellanda hac hydria, præsertim in invasionis principio. Egregia pariter sunt exempla duo, quæ *c. l.* in medium protulit. In specie sal Vitrioli albissimum tanquam Apoplexiæ curandæ secretum consilio *Helmontii & Fabri* miris maest præconiis. Tantum vero abest ut solis vomitoriis cura Apoplexiæ semper absolvatur: ut in fortiori eorundem conatus sufflaminet & illudat mali vis: Quodsi vero desideratus effectus subsequitur, ratio operationis hæc reddi poterit. Per vomitum illum ventriculus & pectus sursum deorsumque commoventur, excrementa viscosa & glutinantia discerpuntur & protruduntur, atque cum ob nervorum plexus etiam superioris cavitatis viscus prænobile in commotionem non levidensem rapiatur, obstructio illa oppidò sic tollitur. Remedia stomachica, aromatica & Duumviratui servientia, quæ laudat *Helmontius*, talia sunt, quæ partibus suis volatilioribus capiti simul conducunt egregiè, eoque respectu Apoplexiæ contratendunt, obstructions referant, liberumque spiritibus in partes inferiores influxum concedunt. Ea

vero cum in spirituosis aquis ut plurimum consistant, ne confertim ingerantur, ut ægros inebrient summo opere cavendum. Spirituum namque arcem invadunt, illos incendunt, deflagrare faciunt, deflagrandoque in vappam transmutant, ut ideo aquas Apoplecticas ipsius Apoplexiæ fomenta appellitet *Dn. D. Job. Lud. Hannemann (Diss. de us. & abusi. inebriam. §. 36. p. 42.)*

§. V. Sopor seu Letargus è Duumviratu. (*Jus Duumvir. n. 3.*) Sopor ab ore Stomachi. (*de Febr. c. 10. n. 29.*) Sopores tam morboſi quam artificiales sive opiatorum optime debellantur per lixiviam, que tamen nullatenus agnoscuntur pro remediis cephalicis. (*Jus Duumvirat. n. 31.*) Somnum naturalem è Duumviratu derivat *Hellmont*, quod vel ex unico loco in priori exercitatione jamjam allegato, hinc autem reperendo fatiſ apparebit: *Somnus* (scribit *Jur. Duumvirat. n. 39.*) in præcordiis suscitatur, & in capite notabiliter se manifestat, adeoque caput ad consensum præcordiorum parere non erubescit. Ex hoc fundamento vel invitus compellatur, ut in sopore præternaturali, sive affectibus soporosis, lienem & stomachum pro subjecto primario declararet. Ut vero somnus naturalis ex imminuto spirituum in organa externa influxu, & ex aliquali eorundem torpore rectius deducitur, ita in somno p. n. nimius spirituum torpor incusandus, adeoque nec stomachus nec lien subjectum erit primarium, sed cerebrum & cerebellum, meatusque seu pori eorum, per quos spiritus animales ad officia sua obeunda vel in ipso cerebro vel ad externa sensoria demandandi sunt. Hanc quidem opinionem probatissimorum Medicorum pro cerebro militantium debellare machinatur, quando ratione curationis lixiviam in soporosis affectibus valde proficua pro remediis cephalicis nullatenus agnoscit. Si ex hoc argumento stramineo contra adversarios aliquid obtinuisse sibi met imaginatus, quam bene Duumviratui consulatur non video, quando lixiviam nec pro remediis stomachicis nec splenicis nisi certo respectu agnoscuntur, ita nimirum ut & capiti quandoque con-

ducant egregiè; sunt autem non contemnendi usus in fopore p. n. quatenus spiritus torpidos volatilisare & agiles reddere valent, unde etiam ex hoc capite contra Helmontium cephalica dici queunt non inconcinne. Stomachicis curari bene *Idem* advertit c. l. n. 26.) Sed & stomachica cephalica esse expendendum *Ipsi* erat.

§. VI. *Amentia omnes è stomachi regione manant.* (*Conf. morb. sed. in anim. sensu. n. 3.*) Amentia notio in sensu generaliori sumitur *Helmontio*, ita ut quasvis mentis abalienatae species, e. g. delirium phreniticum, melancholiam, maniam &c. complectatur. *In penitiori tunica stomachi, velut thalamo, habitare animam mortalem, eamque intra sinum suum obvolvè mentem immortalem* expressis verbis docuit c. l. n. 2. & ex hoc fundamento quosvis animae & animi motiones & læsiones deducere ipsum oportebat, ne se dictorum immemor mendacii nota infamem redderet. Inde etiam amentias quæ omnium fere suffragio cerebri facellum tanquam fixum domicilium incoluerant, è pristina sede dejecit in stomachum. *E liene spinoso absque materiali errore prodire easdem alibi statuit; (Ius Duumvirat. n. 1.)* id verò nemini paradoxon videbitur, nisi cui arctissimum, quod ex mente ejus lienem & stomachum intercedit, connubium haud innotuit. Brevitatis studiosus provoco ad prioris exercitationis *Secl. V.* ibi radicem huic sententiæ præcisam inveniet Lector benevolus. His prælibatis ad aliquas amentiarum species ut progrediar instituti ratio monet.

§. VII. *Deliria testantur Duumviratum male affectum:* (*Ius Duumvirat. n. 30.*) *habitant in præcordiis (de Febr. c. 11. n. 3.*) Delirium in sensu strictiori, quatenus cum febre conjunctum, accepisse videtur *Helmont*, quod alias phrenitidis notione, *Ipsi* quidem insolitè, exprimitur; in cujus tamen etymologia, pro roborandâ suâ sententiâ, proque asserendâ Duumviratus prærogativâ, egregii quid, scilicet quod pueri in faba, invenisse, sibi ablanditur. Nimirum ἀπὸ τῶν Φρενῶν phrenitis dicitur;

Φρένες

Phœves autem præcordiorum nomine os stomachi denotare non veretur obtrudere, quem errorem in priore exercitatione *Secl. V. §. u. n. i.* refutavi. Hinc tantam prærogativam stomacho vindicare nititur, eo quod cordis nomen, [vel quasi] autoritatem ac proprietates præ cæteris visceribus ad se rapuerit; [*Sextupl. Digest. n. 18.*] & concludit locum affectum in delirio & proinde etiam in phrenitide non in cerebro, sed in præcordiis potius h. e. Duumviratu stomachi & lienis esse indagandum, utpote quorum viscerum archeo, qui tunc ad furorem redactus est placato mitigatoque symptomata illa funditus demum eradicari possint. Verum his ipsis male nobis consuluit *Helmont*, neque partem affectam, neque causam ex rei veritate indigitans. Tamen enim in hac hypothese iudicio *Christiani Langii* (*Patbol. animat. p. 67.*) quædam subsint, quæ non statim susque deque habenda; potior tamen & experientia conformior eorum habetur sententia, qui in phrenitide inflammationem cerebri aut ipsius aut membranarum ejusdem contingere asserunt, oriundam à rapidiori motu humorum & Spirituum, qui si à miasmate febrili ejusque intensiore commotione inordinatis & tumultuariis motibus ferantur, iudicia hinc in mente enata non possunt non à sanorum regularibus magis iudiciis longissime recedere. Antiqui Medici urinas nimis dilutas (quas in malignis & acutis febribus funestum semper indicium notavit *Excell. Præses Tr. de Febr. ad Poter. p. 870.*) indicare phrenitidem prodiderunt, & responderet quoque experientia, testantur enim de ingenti secessione feri a sanguine, unde ipse crassior redditus per venas angustissimas cerebri non bene circulator, sed inflammationem ibi parit. Quod curam *Helmontianam* concernit, deliria remediis stomachicis non cephalicis mitigari, aboleri scribit; (*Jus Duumvirat. n. 26.*) Ast nec stomachica, nec cephalica fricte, sic dicta curare phrenitidem affirmaverim, quin potius ratione inflammationis impetus sanguinis affluentis refræmandus, tum per sanguinis missionem, (quam aliqui adeo necessariam judicant,

cant, ut arteriotomiam commendent, quam magna cum felicitate administratam expertus est *Dominic. Panarolus Pentec. 1. observ. 29.*) tum per præcipitantia sanguinis stagnationem resolutiva, non neglectis pro re nata velicatoriis, clysteribus, pediluviiis, è blandis nervinis & paregoricis : ratione delirii vero motus spirituum inordinatus corrigendus, per succinata, camphorata, cinnabarina, castoreata, præcipitantia, moderatiora tamen, quibus etiam, si vires plenariè non sint dejectæ, opiata in parçâ dosi sunt associanda, ita ut quando illa motum inordinatum, hæc nimium & impetuofum respiciant, & suspendant lienem *secundum Helmont (Jus Duumvirat. n. 40.)* ab operosa phantasmatum feriorum exercitatione. Quo autem hisce indicationibus fiat satis, & in hoc peracuto affectu, quin & aliis morbis malignis cura auspiciò procedat, probe observentur saluberrimæ cautelæ, quæ habet *laudatus Dn. Præses (c. l. p. 870. sqq.)*

§. VIII. *Amentie hypochondriace extra controversiam sunt præcordiales. (Dem. Id. n. 5.)* Melancholia ratione significationis sua gaudet latitudine, modo enim humorem antiquis dictum melancholicum, atrum nempe & ex flavo nigricantem, aut si mavis statum sanguinis & feri acetosum fixumque variis gradibus differentem, modo delirium melancholicum ab illo feri & sanguinis statu oriundum denotat. Prout autem dicta sanguinis crasis & motus spirituum variat, ita mens in ratiocinando varia quoque concipit deliria; id quod vel in sanis à vini largiori usu videre est, quando è multis ebris eodem vino delibutis hic tristes cogitationes volvit, ille in risu & jocos solvitur, iste lites ferit, alius in somnum fertur aut Venerem; quo de Lyricorum Pater *Horatius (Carmin. l. 3. od. 21.)* eleganter cecinit.

*O nata mecum Consule Manlio,
Seu tu querelas, sive geris jocos,
Seu rixam & insanos amores,
Seu facilem, pia testa, somnum.*

D

Quod

Quod ad subjectum principale morbi & delirii melancholici, victoriam ante triumphum cecinisse videtur Helmont, quando melancholias extra controversiam præcordiales esse pronunciat, i. e. oriri stomacho male habente. Qui cerebrum imaginationis & rationis sedem contra ipsum vindicant, rectius in hoc melancholiam nidulari reputant. Sicut enim status animæ naturalis ejusque functiones & operationes è sanguinis circulatione per capitis vasa optime enucleantur: (vid. *Disputat. de morbis mentis Præfide Dn. D. Frid. Hoffmanni à Joh. Jac. Stangio habitam*) Ita ex ejusdem circulationis sanguinæ per vasa cerebri tenore ac statu præternaturali hicce morbosus mentis affectus omnino derivandus est. Tales enim in mente oriuntur cogitationes, tales ideæ & inclinationes, qualis solet esse in capite sanguinis circuitus. Ipsa vero experientia stabilitur, melancholicos omnes ferme sanguine copioso, crasso, viscidiori, verbo: pro motibus naturalibus debite perficiendis improporcionato abundare, qui in capitis vasis subtilioribus hæsitans perversas phantasias producit. Hinc melancholia hypochondriaca omnium est decantatissima, eò quod ad eandem facillimè disponuntur hypochondriaci: Unde vero affectio hæc hypochondriorum oritur nisi à sanguine quem dixi crasso? Hoc respectu subjectum causæ omnino quandoque constituunt infimi præfertim, quin & medii ventris viscera, quæ sanguinis generationi & diathesi πρώτος vel δεύτερος velificantur, dum alia magis alia minus concurrunt. Imprimis ventriculus tanquam publicus corporis promus condus suos hic patitur manes. Neque lien insons semper est, qui in demortuis melancholicis sæpe tumidus aut aliis viciosis qualitatibus destructus ab anatomicis observatus fuit. (Vid. *Theoph. Bonet. Anat. Præf. lib. 1. Sect. 9. Obs. 24. 26. 27. seqq.*) Proinde in cura melancholicorum, altero oculo hypochondria, altero caput respiciendum esse optimè monent Practici.

S. IX. *Insania sive continuo esu ferociant, vel per intervalla*

repetant, spiritum Duumviratus inquinaverunt. [Dem. Id. n. 36.]
 ἔδεν ἔστιν ἄλλο μανία ἢ ἐπίτασις τῆς μελαγχολίας ἐπὶ τὸ ἀγριό-
 τερον i. e. Mania nil aliud est quam intentio Melancholiæ ad
 majorem ferocitatem, Trallianus perbelle dixit. Non mo-
 do enim melancholici in maniacos exacerbantur & transeunt,
 (Vid. Hildan. Cent. 4. Obs. 8. & 9.) Sed & maniacorum exempla
 suppetunt qui melancholici facti, quale est illud observatu
 dignissimum, quod allegat Lazar. Riverius. (obs. 32. à Sam. Form.
 communicat.) Nec ergo ratione partis affectæ inter se different
 affectus hi in se invicem facile convertibiles. Equidem quam
 in reliquis deliriis extollit, eam quoque hic ingeminat sententiam
 Helmont, nempe sedem mania esse in Duumviratu:
 ast rectius alii cerebrum in cujus poris spiritus hospitantur
 & ideæ formantur mania officinam constituunt; (Vid. Job.
 Dolei Encycl. Medic. l. i. c. 4. p. m. 57.) in quantum illud a natu-
 rali statu deflestat, apparet ex anatome mania defunctorum,
 (vid. Miscellan. N. C. Dec. II. obs. 234. p. 546.) adeoque Helmon-
 tius suo asserto nil aliud evincet, quam dari quandoque maniam
 per consensum hypochondriorum. Ut Idem anno-
 tavit, [tr. Dem. Id. n. 42.] *singulare est maniaco, quod utcumque nu-
 dus cubet humi, vel in marmore pernoctet, severissimo Boreæ statu
 non glaciatur, vel artus commoviantur sibi; quod phænomenon
 ex statu Massæ sanguineæ vitiose exæstuantis explicandum
 venit. Hæc tamen frigoris tolerantia non semper solet ad-
 esse, siquidem & observantur maniaci, qui vestes non modo
 non dilacerant, sed etiam contra hybernum gelu eas expo-
 scunt; quin & Platerus maniacum frigore periisse & quasi
 congelatum altero mane inventum refert. (observat. lib. 1. p.
 82.) Quod ad curam consideravit per ignem Philosophus
 (c. l. n. 45.) ideam amentem jam impressam in radicalia vite prin-
 cipia non posse auferri una cum subjecto quod vestivit. Idcirco in-
 veniendum erat remedium quod posset occidere, necare, tollere sive
 obliterare presatam illam amentia imaginem, sive maculam jam ob-
 characterizatam, non secus atque macula fetui impressa, admodum ma-*

nu cadaveris, longa tabe extincti, omnique vite proprietate exuti, donec frigus partem maculatam penetraverit, [quod sit spatio unius miserere] de cetero sponte evanescit. Eodem modo & mania ideam perire debere, sospite interim subiecto immediato, cui inhaeret; sive id fiat introducendo mortem ideæ, vel ingenerando æquivalentem ideam, aut prepollemem fatuæ ideæ. Quæ ipsa philosophia, non spernenda, quam pluribus (c. l.) profequitur. Quod ad soporifera, sanæ rationi consona (tr. Jus Duumvirat. n. 56.) protulisse videtur. Sape per immania soporifera mania succurrere frustra est tentatum. Ita etiam eos, qui maniam opiatum compellere satagunt, insigniter errare docet, (tr. de Libria. c. 9, n. 84.) cum omne opiatum in se sit amens; quia amentia nil præter somnum vigilans, siquidem vix decupla dosis somnum amenti conciliat minori autem dosi efficitur nihil. Si vero aucta dosi somnus amenti obrepit, dementiam & somnium vigili auget, ac disparatas insomniorum vanitates. Decepit autem scholas pergit n. 85. somnus sponte propria amenti obveniens. Nam is ut ex bona causa provenit, ita & sanitatis præcursor index amentiam solutam iri spondet. Addit, quod in opio sit connexum virus ali-quod, unde lethalia papavera somno decantantur à Poëtis. Ipse autem extollit miris præconiis [n. 86.] in sulphure vitrioli delitescens somniferum saccharinum, quod suavem apportat somnum, cum facultatum principalium restauratione. Simile in sulphure etiam agnoscit. Somnum autem laborem asserentem (qualis ex opiatum) malum judicat. Hæc quidem auditu non injucunda & ex parte vera, nec tamen scrupuli expertia, qui sane sublatus fuisset, si Paracelsus aut Helmontius pro integritate, quam crepant, legitimam sulphuris hujus præparandi rationem addidissent, quam quidem Helmont indigitasse videtur Tr. Duumvirat. n. 9. Illæ enim præparationes quas Hartmannus, Quercetanus, Zwelfferus, Schroederus &c. proponunt, expectationi non satisficient. Imo paucissimi hodiernum credunt virtutem vitriolo inesse talem, quæ ad somnum inducendum & dolores fedandos opio præferri mereatur. (vid. Frideric. Hoffmann Clav.

ad

ad Schroeder. lib. 3. cap. 26. p. 364.] Interim cum certum propter incertum deferendum haud sit, opium per correctionem à viciosis qualitatibus, quas *Helmont* (c. 1. n. 8.) taxat, liberatum, pro re nata & prudenti administratione Medicinæ in mania rejciendum.

SECTIO III.

De

Morbis medii Ventris,
Asthmate, Incubo, Syncope.

§. I.

Asthmatis sedes est in Duumviratu, unde videlicet totius moderamen pendet. (Tr. Asthm. & Tuss. n. 28.) Asthmatis nidus est circa stomachum. (Cust. Err. n. 40.) Asthma nominare licet caducum pulmonis, est quidem nidus ejus in Duumviratu, at tamen in area thoracis fructificat. (Asthm. & Tuss. n. 29.) Sagittator Asthmatis sicci est in Duumviratu: scopus vero ejus est pulmo: (ibid. n. 59.) Asthma siccum epilepsiam pulmonum vocat (n. 69.) Anbelicus difficultas confirmavit *Helmontium*, totam illius difficultatem ad stomachi contermina loca sitam esse, ac insontem pulmonem haberi. (Jus Duumvirat. n. 62.)

Satis operosus fuit *Helmont* in evolutione hujus affectus contumacissimi, quo inter incommoda corporis, *Seneca* effato, nullum molestius. Duplex autem statuit asthma, unum quidem muliebre, ex solo uteri regimine pendens, alterum vero promiscuum, utrique sexui commune, (Asthm. & Tuss. n. 9.) quod ratione excretionis distinguit in humidum & siccum. Ut ratione partis affectæ scopum feriret, varia tela vibravit, mox enim membranam pulmonem ambientem & pulmonem ipsum, mox stomachum, lienem aut uterum pro sede hujus mali agnoscit. Ad Duumviratum tamen & stomachum imprimis

D 3

collima-

collimavit, quod ex præmissis apparet. Et sane quod humidum atinet non negandum est, hæere illud sæpius in stomacho, quam ipsis pulmonibus; quod si enim stomachus infarctus est saburra quadam crassa, viscida, mucilaginosa, eaque ex quacunque causa occasionali in motum traducitur, ut incipiat turgescere & quasi inflari, periculosa satis producit asthma, partim quod nimia distensione ventriculi impediatur motus diaphragmatis pro respiratione maxime necessarius, partim, quod diaphragma ipsum in consensum non levidenssem trapiatur, ut illius convulsio & perversus motus subsequatur. Nec stertor, qui vulgo habetur signum infarctionis semper à pulmonibus oritur, sed observante *Etmulleo* à materia viscidiori in stomacho collecta per sæpe confurgit. Imo scorbutici & hypochondriaci post pastum difficillimo asthma non raro vexantur, quod non nisi ex vitiata ventriculi digestionem contingit. Huc respiciens *Helmontius* vomitoria commendat, quibus spinam extrahendam annitur; nec in feliciter, calculi suum addentibus Practicorum celeberrimis, rationibus sat manifestis adjunctis, æqualiter enim materiam haurit vomitus sive hæreat in stomacho sive in pectore. Notum est quod in omni vomitu simul insignis fiat constrictio pectoris, & quod per motum gulæ sursum simul moveatur arteria aspera, ut adeo ex ventriculo & pectore simultanea fiat evacuatio. *Petri Poterii* primaria methodus curandi asthmatis consistit in vomitorio reliquis medicamentis præmittendo. (*vid. obs. cent. 2. c. 16. cent. 3. c. 22.*) *Timaus à Guldenklee* (*lib. 2. Epist. 13. p. 122.*) pertinacissimum hunc affectum nullisque cedentem remediis superavit per aquam benedictam Quercetani procurato vomitu. Legi meretur circa vomitoriorum in asthma usum eruditus disfeursus *Rosini Lentilii* in *Miscellan. Medic. Pract. P. 2. p. 626 sq.* (*Add. Hoef. Hercul. Medic. p. 118.*) Quin & ipse natura monstrat interdum usum vomitoriorum fore proficuum. *Bened. Sylvaticus* (*Cent. 3. Consil. 49.*) refert asthma singulis noctibus recurrens cum suffocationis periculo, à quo non prius liberatus æger, quam

quam sponte succedente vomitu tam assumtorum
quam materiae pituitosa. Siccum quod concernit citra
materiae sensibilis excretionem contingit, & ab inordina-
tis motibus aut distorsionibus spasmodicis tum in or-
ganis respiratoriis, tum extra ea originem sumit. *Helmontio*
caducus aut epilepsia pulmonum vocatur, quam bene, meum
determinare non est. Male habet ista appellatio *Rivinum*, (*Dis-
putat. de Asthmat. §. 30.*) non incongrua tamen videtur *Wede-
lio* (*Disput. de Asthmat. Mechanic. Sect. 1. p. 19.*) Commendandum
interim salutare consilium *Helmontii* in curando asthmate sic-
co, quando (*Asthm. & Tuss. n. 64.*) scribit, *remedia asthmatis debentur*
*siccis, quae epilepsiae inveteratae; antispasmodica enim cum anti-
hyftericis pro sexus conditione maritata hic omnium sunt*
*convenientissima. Frustraneas recte dicitur in Asthmate, preser-
tim siccis, expectorationum sollicitationes per illinctus loch, syrupos, per*
phlebotomiam, ac solutiva, per china, zarza aut sassafras potus (quos
falso exsiccantes nominant) perque Diatae parsimoniam, (qui tamen
in sena asthmatico observaverat, eum melius habuisse subter jejunia &
sub quadragesima, quam mox à Paschate, n. 70. cui & postmodum
parciorem & duriorum cibum prescripserat n. 72.) sudores, balnea
& cauteria (n. 36. 37.) ridetque quod haerint circa pulmonem,
vulpis, quam indefesse currentem scirent (n. 76.) miraturque (in
Pleura furens n. 30.) cur Loch sanum pariter non paraverint ex cauda
equi tota estate verrendis muscis agitata.

§. II. *Incubus sive Epibiales suscitatur è præcordiis: Advenit*
enim plerumque sumta durioris cibi largiore cena, vel alia laboran-
te stomacho: ideoque id contingit non quidem cubanti latere dextro,
sed tantum dormienti in lumbis supino, vel saltem latere sinistro, dum
scilicet pene est dormitum satis. Est nempe onustus ac oneratus stom-
achus, ejusque nondum absoluta concoctio, ideoque contingit sinistro
latere cubantibus, quorsum nempe os stomachi contortum est. (Jus
Duumvirat. n. 15.)

Tametsi à nonnullis parvi pendatur & magis pro vexami-
ne ludibrioque nocturno, quam pro gravi affectu habeatur,
incu-

incubus, attamen si penitus consideretur, pro naturæ ludo ac joco minime, sed pro fatis portentosa & periculosa ægritudine habendus, quia non solum per vigiliis invasit, (*Job. Rhod. Cent. 1. obs. 54.*) sed & in epilepsiam, (*Tim. a Gildenkl. Cas. lib. 1. c. 17. p. 44.*) Apoplexiam, (*Job. Rhod. c. l.*) mortemque desit. (*vid. Miscellan. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 5. p. 446*) Circa subiectum sive partem primario affectam varii varias sovent sententias. Cerebrum affici opinantur *Sennertus*, (*Medic. Pract. lib. 1. part. 2. c. 29. p. 150.*) *Lud. Mercatus* (*lib. 1. d. intern. morb. curat. c. 10. fol. 21.*) *Petr. Forestus* (*lib. 10. de cerebr. morb. obs. 50.*) aliiq. Verum cum sit læsæ respirationis symptoma, unde & asthma nocturnum vocatur, merito sedes ejus in organis respiratoriis quærenda est. In præcordiis Incubus suscitatur *Helmont* docuit, quo nomine os stomachi indigitavit; potiori tamen jure diaphragma, quod & præcordiorum titulum à priscis mage temporibus obtinuit, pro parte affecta agnoscitur, non exclusis thoracis musculis præsertim intercostalibus, qui pro dilatatione thoracis in respiratione suam eamq; egregiam conferunt symbolam, siquidem juxta experimentum *Pecqueti* (*Diss. anatom. d. circul. sangv. p. 250.*) omnibus aliis musculis in pectore & abdomine rescissis, si diaphragma & intercostales illæsi maneat, æque respirare animal ac si nullum esset vulnus observatur. Ad nervos autem musculis respirationi servientibus dicatos una respiciendum est, quorum nempe aliquali obstructione, compressione &c. liber spirituum influxus præpeditur, hinc facile dilucidari valet illud phænomenon, quod à nervi intercostalis & phrenici irritatione, musculis thoracis & diaphragmatis convulsis, larynx etiam convellatur, ut cum sensu strangulationis loquela postmodum impediatur, aut saltem sonus inconditus proferatur; ex eodem enim nervo, qui intercostales movet, dimissus ramus laryngi prospicit. Ut ut vero præcordiorum titulo diaphragma potissimum afficiatur in incubo, extra culpam tamen stomachus omnino non est, utpote si alimentis durioribus & copiosis infarciatur, aut

aut flatibus distendatur, diaphragma sursum pellit. Hinc est, quod dorso dormientibus & quibus ex nimia ingurgitatione vel voracitate in cœna diaphragma sursum repellitur incubus sit frequentior, cum ii, qui strictiori utuntur diætâ & cœna moderatori, rarius aut nunquam eo corripiantur.

§. III. *Syncope immediate ab ore stomachi manat.* (Ius Duumvirat. n. 21.) *Syncope ac ore stomachi originem sumit.* (Sed. anim. n. 7.)

Syncopis tractationem imprimis circa subiectum difficilem esse præter *Alexandrum Massariam* & *Hieronymum Mercurialem* etiam alii præclarissimi autores docuere: Interim si phænomena in dicto morbo occurrentia ritè examinentur, illi facile assensum merebuunt, qui à tot seculis cor pro subiecto syncopis constanter agnoverunt. Equidem hoc ipso tanta cordi dignitas, quantam olim obtinuit denuò non conciliatur, quâ nimirum præsuppositâ syncopen explicatum ibant Veteres: Si enim certum est, quod certum esse sensuum ope adjuncta evincit ratio, in corde nihil desiderari quod musculo datum, nec, quod musculo denegatum, in corde reperiri, non erit cor amplius sui generis substantia, adeoque nec certæ substantiæ, ut ignis, calidi innati, animæ &c. sedes, nec certi humoris, ut sanguinis generator, nec spirituum, quorundam vitalium productor; uti eleganter philosophatur *Nicol. Steno.* (de muscul. & glandul. p. 27.) Neutiquam tamen adduci possum, quin cum *Helmontio* è corde in os stomachi sedem syncopis transferam. Cum enim ejusdem formalitas in pulsu imminuto, & ad sensum fere abolito consistat, cor quoad systolen suam insigniter lædi divinor, vitio tum, sanguinis, tum, qui ipsius conditiones sequuntur, spirituum. Remotius tamen quandoque concurrat ventriculus, præsertim si in eo acidum prædominetur, ita ut cruditates acidæ ad sanguinem delatæ ejusdem spirituaſcentiam & elasticitatem impediunt, spissitatem contra & stagnationes inferant, hinc scorbuticis & hypochondriacis familiare malum existit syncope. Sic *Galenus* stomachicæ syncopis mentionem fecit,

E

(de

(*de symptom. caus. lib. 1.*) qualis illa, quæ quandoque oritur ex vitio oris ventriculi vehementer dolentis, ab acri, venenoso aut crudo adhærente, vel falso pungente humore, ad eò ut præ dolore dissipentur spiritus, ac sic in syncopen acerbissimam & non raro in mortem ocysime prolabantur ægri, quam syncopis speciem inter eas numerat, quæ fiunt per consensus *Ludov. Mercatus. (d. intern. morb. curat. l. 2. cap. 10. fol. 224.)*

SECTIO IV.

De Morbis infimi Ventris,
Apepsiâ, Fame caninâ, Cœliacâ passione, Lienteriâ, Vomitu.

§. I.

Apepsiâ, bradypepsiâ, appetitus defectus, ciborum nausea oriuntur à splenis fermento deficiente. (*A sed. anim. ad morb. n. 10.*) Cramben dudum appositam plus quam semel recoxisse viderer, si de fermento splenis in stomachum spirando impræsentiarum vellem esse sollicitus, aut in eodem iterum iterumque refutando prolixus. Evolvat L. B. prioris exercitationis *Sell. 4. §. 14.* ibidem plura hanc materiam concernentia inveniet. Quapropter sponte sua corruisse videtur præmissum Helmontii disterium, falsiori thesi superstruatum. Ne tamen durius in Helmontium memet egisse, quis judicet, non rejiciendum plane arbitror, quicquid de fermento deficiente arbitratus est, ita tamen ut commentum de splenis elaboratione & transmissione separetur. Quemadmodum enim in statu s. n. menstruum, aut si mavis fermentum illud in glandulis œsophagæis & stomachalibus elaboratum, inque ventriculum deciduum & congestum appetitus genuina causa existit: Ita si illud aut in sufficienti copiâ non præsto sit, aut quoad suam energiam non satis efficax pro vellicandis leniter ventriculi tunicis, non potest non appetitus prostratus & ciborum nausea oriri. Eadem ratione si
illud

illud aut in quantitate quam par est minori fecernatur & colligatur, aut qualitatibus vitiosis imbutum sit, quid aliud sperandum quam apestiæ, bradypepsiæ incommoda, & per consequens, cruditates nunc acidæ, nunc pituitosæ, nunc nidorosæ, pro conditione fermenti acidi, pituitosi, aut biliosi, verbo: cibis solvendis impropportionati. De cætero bene se habet, quod statuit *Helmont*, fermentum per ætates & morbos minui. (*Retent. p. m. 495.*) Recte etiam acida desidi appetitui quandoque propinanda censuit, (*cal. eff. non diger. n. 24.*) quæ idèò esurina ipsi dicuntur, & (*c. l. & Sextupl. digest. alim. human. n. 12.*) recensentur.

§. II. *Sub fame canina duplatur lienis fermentum.* (*Retent. p. m. 496.*)

Contrariorum contrariam esse rationem *Nostro* probe innuit; hinc cum ex fermento deficiente apestiam & inappetentiam dependere statuisset, per bonam consequentiam in fame caninâ fermentum duplari asseruit, quæ assertio saniori Philosophiæ & Medicinæ non repugnat, nec cæteris paribus, i. e. remotis quæ lienem tangunt removendis, requirit, ut prolixius eidem inhæream.

§. III. *In Celiacâ passione pylorus nunquam clauditur.* (*Pylor. Rect. n. 2.*) *Perrinax pylorus est in apertione, qualiter Celiacis evenit* (*ibid. n. 5. p. 181.*)

Aut pro synonymis lienteriam & celiacam habuit *Helmont* aut, quod probabilius, invicem confudit, cum tamen affectus sint invicem distincti, tum ratione excretionis, tam partis affectæ. In illa alimenta parum aut nihil immutata per alvum excernuntur, in hac autem cum excrementis confectus chylus rejicitur. Ibi ventriculus, hîc intestina laborant, adeoque præmissa duo axiomata quadrassent potius pro declarando subjecto lienterix, quæ vitio pylori persæpe contingit, quando ejusdem fibræ adeo laxæ & resolutæ sunt, ut massam alimentarem prius elabi concedant in intestina, quam chylus exinde elaboratus est, quandoque etiam ventriculi nimia sensibilitas adest, e. g. ab excoriatione, ulcere, acrimonia scorbutica,

butica &c. ut alimenta iusto citius expellat. Sed nec men-
 struum stomachale semper immune, si pro extrahendo chy-
 lo iners existat. In coeliaca intestina affici dixi. Sicut enim
 ventriculi functio in eo maxime consistit, ut alimenta non so-
 lum contineat, sed & motu suo activitatem solventi majorem
 imprimat, imò ipsam massam magis subigat, atterat, ejusdem-
 que resolutionem adjuvet: Ita intestinorum erat particulas
 evolutas laudabiles, lacteas, ab excrementitiis separare, illas ad
 venas lacteas urgere, has autem foras eliminare. Quod si igi-
 tur eveniat, ut intestinorum tonus sit nimis laxatus, aut orifi-
 cia venarum lactearum sint obstructa, e.g. per cicatrices post
 dysenteriam, aut pituitam latera intestinorum investientem,
 coeliacus fluxus subsequitur.

§. IV. *Vomitus fit dum clauso pyloro sese sursum contrahit,*
non quidem per corrugationem stomachi, sed motu rotari stomachi
ad gulam, adeoque pylorum vomitum imperat & retentiva non au-
scultat. (Pylor. Rect. n. 6.) Vomitus non fit nisi clauso & inverso py-
loro. (ibid. n. 21) Pylori munus probe perspexit Helmont,
 eum videlicet esse Rectorem & Præsidem retentionis in sto-
 macho, dum sui apertura naturali transmittit inferiora ver-
 sus ventriculi contenta, ut sui contractura præternaturali
 superiora versus regurgitare facit eadem. Quo præsuppo-
 sito difficile ipsi haud erat, modum quo vomitus contingit a-
 dedè bellè describere. Et revera dum pylorus fortiter se
 constringit, subito totius ventriculi motus invertitur, qui pro-
 pter fibras circulares à pyloro progreditur ad orificium fini-
 strum, quod convulsam ob fibrarum identitatem gulam in-
 consensum rapit, ut contenta stomachi per os foras protrudantur.
 Ex ipsa rei veritate hæc esse desumpta confirmat, *αυτοψία* anatomica
Olai Rudbeck Patris, (obs. anat. 20. Vid. Sibold. Hemsterhus. Mess. aur. p. 332.) ita vero inquit ille:
Canis vivus scētus vomitionis actum palam fecit, primo pylorus se
contraheret, mox systole totius ventriculi ab orificio inferiori ad superius
sequebatur, ac tandem oesophagi, materiam effundentis. Idem il-
lustrat observatio Kerckringii (Spicileg. Anat. c. 1.) de nummo à
 puell-

puella improvide deglutito, ac intra Pylori circulum hærente, hincque ad vomitus pertinaces ac tandem lethales stimulantē. *add. Salmuth, (Cent. 1. obs. 20.) Benivenius (d. abdit. morb. caus. c. 36 p. 239.)* quorum ille vomitum à pylori scirrho, hic ab ejusdem callo recenset. Quicquid autem horum, duo tamen circa *Helmontianum* hoc dogma monenda veniunt, quorum prius, omnem quidem vomitum supponere pylori convulsionem, minime tamen semper adeo arctam ejus occlusionem & quasi sigillationem, ut instar janitoris pertinacioris non emittentis contenta se habeat: Cum non raro infra hunc janitorem & in tractu intestinali stimulus ille everforius spasmodicus hæreat, qui per pylorum ad gulam usque continuatur, quod vel sola facum per os in morbo iliaco exclusio evincit. Nec de nihilo est quod *Riolanus (Enchirid. Anat. Parolog. l. 2. c. 17.)* differit, illam duodeni ad spinam replicationem non raro vomitibus occasioni existere, quatenus bilis transfusus in hac aliquando prohibeatur, hinc ad ventriculum regurgitet. Deinde nec ideo *Helmontio* concedenda monarchalis illa pylori potestas, quam in fibras totius stomachi habere credit; quatenus instinctus vomituriendi non semper pylorum afficiunt, sed intermediam utrique orificio non raro partem, imo alterum orificium, quemadmodum *Hildanus (Cent. 5. obs. 36.)* vomitum ab ulcere orificii superioris testatur; ita ut sine pylori retractione hæc quidem excretio vix unquam concipi queat, non tamen semper hic primo irritetur, sed aliquando à fundi fibris in consensum trahatur, adeoque ejus functio naturalis pariter alterius facultatis, scilicet fibrarum contractricis, sit pedissequa, & harum motui simpliciter subjecta, secus ac *Helmontius* sibi concepit eandem. *Vid. Maguific. Bobnii Dissert. de Vomitu §. 3.*

SECTIO V.

De

Artuum Morbis, Arthridite, Podagra, Ischiadico malo.

E 3

S. I.

Arthritis pro causa agnoscit acidum, quod licet stomacho sit gratum, in fundis tamen alienis evadit inimicum. (*Afed. anim. ad morb. n. 5. 6. 7. u.*) In Arthritide precedit stomachi quaedam indispositio cum febricula, antequam ullum signum in artubus e-lucescat. (*Ignot. act. regim. n. 40.*) Podagrici accusant stomachum, seque ibidem primos sentire motus ac velut agitationes febriles tanquam præcursores accessus. (*Afed. anim. ad morb. n. 9.*) Podagrici plures sibi instantem accessum predicere norunt ex mutato excremento intra pedis digitos nascente. (*Volup. vivent. morb. n. 19.*) Ischia-dica passio a pyloro male affecto. (*Jus Duumvirat. n. 20.*)

Arthritidis notio generalis est, & quatuor vulgo complectitur species, pro diversitate articularum diversa nomina sortitas; Chiragra dicitur cum manuum, Ischia cum circa coxendicem, gonagra cum genuum, podagra cum pedum articulos dolor immanis invadit & laceffit. Verum intra arthiores hos cancellos non terminatur hujus mali furia, sed ejusdem activitatis sphaera in omnes totius corporis articulos extenditur, ita ut Trachelagram, Rachidagram, Cleidagram, Pechyagram, Rhinagram, imo & Glossagram passim deprehendas penes autores, prout nimirum nunc cervicem, nunc dor-si spinam, nunc clavículas, nunc cubitum, nunc nasum, nunc linguam affligit. De dentium podagra etiam *Strobelbergeri* extat libellus. *Helmontius* originem & causas hujus morbi explicaturus stomachum primario incusat, cujus indispositio semper præcedat antequam doloris signum in artubus compareat; deinde aciditatem hostilem in habitum corporis deferri atque ibidem instar spinæ pungentis mordicare statuit, ut hinc etiam synovia ab aciditate grumescat, caseiformis & opaca fiat. Synoviae autem notione intelligit mucilaginem, quandam pellucidam, qualis vitulo mactato amputatis pedibus è tibiis stillat, unde producatum degener morbosus partus, infelix nodorum mater, illa nimirum calx & creta, qua synovia reddatur inepta, ut juxta solitum tenorem sanitatis tota exhalat absque capitis mortui residentia. (*Volup. vivent. morb.*)

morb. antiqv. put. at. n. 20. 21.) Porro Vini meracioris potu largi-
 ori arthritidem accelerari, nec non per libidinem à concubi-
 tu excitari posse, hinc inde in allegato Tractatu judicat. Hæc
 Helmontiana nec rationi, nec placitis celeberrimorum Practi-
 corum contrariari, est in propatulo. Quod stomachum atti-
 net, Th. Sydenham acuratissimus Podagræ observator, cujus do-
 lores, cum *Tractatum de Podagra* ederet, per triginta & quatuor
 annos sustinuerat, c. l. p. m. 27. ita scribit: *omnes animi ner-
 vos variis hujusce morbi phænomenis acriter intendens, illum
 εἰς ψίχα seu labefactate tam in partibus quam succis corporis
 universis concoctioni ortum debere existimo. Experientissimus
 Doleus in Encyclop. Med. Theoret. Pract. Lib. 3. c. 14. §. 10.*
 his consentit: *Nos hujus affectus causam statuimus primum vitium
 in depravata alimentorum digestionem, in ventriculo aliisque visceribus
 & glandulis digestionem dicatis facta. Quæ de acido differit Noster
 ab eodem confirmantur egregie c. l. Hostes, inquit, in arthriti-
 de fixa sunt particule acide, quæ partes membranaceas & nerveas, seu
 ligamenta & tendines rodunt. Nec dissentit iudicio siffimus olim
 Lipsiensium Medicus ac Professor Etmullerus in Colleg. Pract.
 cap. XI. fol. m. 469. ita enim ille: Quoad causam efficientem omni-
 um optime eadem à Tachenio expressa videtur: nempe acidum vola-
 tile spirituosum, sui tamen generis seu specifici saporis spiritui insluo ma-
 ritatum, synoviam imprimis & partes vicinas membranaceas inqu-
 nans & affligens primarius tortor est. Prima hujus acidi spirituosif o-
 rigo est ex primis viis, quam potius ex depravata digestionem prima-
 cum Tachenio, quam ex pancreate aut glandulis cum Sylvio derivare,
 placet &c. Nequetophorum & nodorum arthriticorum ge-
 nerationem ineleganter descripsit Noster. Revera enim ros
 ille dulcis, chylosus, alkali temperato turgidus, qui ceu nutri-
 mentum ligamentorum & membranarum ipsorumque forsan
 ossium intra articulos pro motu facilitando colligitur & instar
 axungie ossium articulationes oblitit, hæc, inquam, synovia
 acidi illius peregrini spicula potissimum experitur, ita ut suc-
 cessive instar albuminis ovi siccetur, & tandem in cretaceam
 seu gypseam substantiam coaguletur. De materia tali poda-
 grica*

græca chymice per ignem examinata videri poterit *Kerckringius*. (*Spicil. Anatom. obs. 28. p. 66.*) Nec in caufarum remotarum fermentatione & indicatione aberravit; in quarum censum vini & veneris intempestivum & immoderatum ufum maxime retulit; probe forfan gnarus illius Græcorum antiquiffimi & veriffimi epigrammatis:

Λυσιμελῆς Βάκχῃ, καὶ λυσιμελῆς ἀΦροδίτης,
γεννᾷται θυγατρὸς λυσιμελῆς ποδάγρα.

Quod *Hummelberg* ita reddidit ad *Sammonic* c. 41. p. 196.

*Connuptis Venere & Baccho solventibus artus
Nata artus solvens nascitur his podagra.*

Unde procul dubio *Nostratium πολυθρίλων*,
Bacchus der Vater/ Venus die Mutter/
Ira die Hebamme/ zeugen Podagram.

Quas de podagræ præcursoribus præmissi observationes binas *Helmontii*, de febrilibus agitationibus, quas ad februm catarrhalium naturam accedere *Sylvius* asserit, nec non de materia tophaceæ alteratione, experientia approbat. Saltem ratione passionis *Ischiadicæ*, quando pylorum male affectum tradit, qui furiose impellatur, & per actionis regimen os ischion afficiat, meum moror calculum, quin potius eandem cum arthritide fixa, cujus species est, originem ipsi assigno.

Et hæc quidem de Pathologia Duumviratus *Helmontiani* delineasse sufficiat. Primæ linæ sunt Pathologiæ, non Pathologia completa. Quis enim hanc Iliadem concinne includeret nuci, & variam variorum morborum historiam tenui & brevi Exercitationi? *Helmontium* secutus morbi naturam breviter recensui, curam etiam aliquando, si quidem eam attingit, si non, sicco præterii pede. Poterunt adhuc aliquot superesse ab *Helmontio* Duumviratui assignata corporis pathemata, qualia *Tr. Sed. Anim. n. 32.* allegavit pallores, tremores, siccitates, tormina, paralyfes, contracturas, & forsan alibi alia; sed cum in sola horum denominatione acquieverit, plura super illa non commentando, chartæ & tempori parcendum fuit, & ne limites Exercitationis transgrediendo, L. B. nauseam moveam, benevolentiaque ejus abutar. Quod deest, supplebit forsan *Franciscus Oswald Grembsius*, & futuro tempore in Pathologia *Helmontiana*, quam in Introductione in Archivum Archei vitale & fermentale *Joh. Bapt. van Helmont* in dedicatione promissit *Dn. D. Martinus Heer*. Deo interim O. M. humillimas ago gratias, pro largita hætenus studiis meis benedictione. Illius gratia etiam Praxi futuræ adsit, ut & ex hac in ipsius gloriam proximus uberimum capiat emolumentum.

ULB Halle
004 068 491

3



f

Sb.







EXERCITATIO MEDICA INAUGURALIS,
SISTENS
PATHOLOGIAM
DUUMVIRATVS
HELMONTIANI,

Quam
In Alma Regia & Electorali Fridericiana,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HÆREDE,

ac reliqua,
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRÆSIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DN. FRIDERICO HOFFMANNO,
MED. D. EJUDEMQUE ET PHIL. NAT. PROF. PUBL. ORD.
h. t. DECANO, POTENTISS. REGIS BORUSS. CONSIL.
ET ARCHIATRO,

*DN. PATRONO, PRÆCEPTORE AC HOSPITE SUO OMNI OB-
SERVANTIÆ CULTU PROSEQUENDO,*

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores & Privilegia
Doctoralia adipiscendi

ad diem Jul. Anno MDCCIV. Horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Eruditorum disquisitioni publicæ submittit

IMMANUEL HEINRICH GARMANN,
Chernicio - Misnicus.

HALÆ MAGDEB. Litteris Christ. Henckelii, Acad. Typogr.